

www.e-rara.ch

**Ex decreto & consensu Amplissimi Iuridicae Facultatis Ordinis, in
inclyta & celeberrima Basiliensium Academia, pro summo in utroque
Iure consequendo Gradu, ad Propositiones has, ex materia ...**

Schön, Johann Peter

[Basel], 1588

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-7192>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

D. O. M.

Præside:

Ex decreto & consensu Amplissimi Iuridicæ Facultatis Ordinis, in inclyta & celeberrima Basiliensiū Academia, pro summo in utroque Iure consequendo Gradu, ad Propositiones has, ex materia Testamentorum desumptas, publicè respondit

IOHANNES PETRVS SCHÖN
Schwinfurtensis,

Ad diem 27. Nouembr. hora & loco solit.

—
TYPIS OPORINIANIS.

M. D. LXXXVIII.



VIRTUTE, PRUDENTIA MO-
RVM Q. INTEGRIT.
NOBILISS.

D. IOHAN. MARQVAR-
DO ET CAROLO RO-
SENBERG. IN
ROSENEGG:

F.F. GERMAN.

COMITATVS TIROL. ET
ARCHIEPISCOP. SA-
LISB. METALLARIIS
FACILE PRIN-
CIPIB.

D. S. O.

IN VERI AMORIS, PERPE-
TVÆ BENEVOLENTIÆ
ET OBSERVANTIÆ ARGVM.
SINCERO ANIMO

D. D. D.

A V T O R.

PROPOSITIO

I.



RIA potissimum sunt in Iure nostro ultimarum uoluntatum genera: ut, Testamentum, Codicilli, & Donatio causa mortis. Mihi de Testamentis differere propositum est.

II.

Testamentum, inquit Modestinus, est uoluntatis nostre iuxta sententia de eo quod quis post mortem suam fieri uelit. Vel, ut Vlp. illud in suo Enchiridio definit: Testamentum est mentis nostre iuxta contestatio, in id solenniter factum, ut post mortem nostram ualeat.

III.

Huius porrò duo sunt genera: quorum alterum paganicum, alterum uerò militare dicitur.

IV.

Paganicum aut fit in scriptis, & solenne plerumque uocatur: aut citra scripturam uiua uoce nominato hærende nuncupatur, unde & nuncupatiuum appellatur.

V.

Non omnibus autem indistinctè testari licet. Primò namque prohibetur alijs ob statum: ut qui in alterius sunt potestate, nec liberam habent rerum administrationem: cuiusmodi sunt filiusf. seruus, captiuus ab hostib. &c.

VI.

Eodem in numero sunt, qui de statu suo dubitant seu errant.

VII.

Quod tamen in filio procedit, nisi peculium habeat castrense uel quasi.

VIII.

Secundò testari uetantur, qui animi carent iudicio:

A 2

ut impu-

ut impuberes & furiosi. Neq; ad rem pertinet, si impubes, postea pubes: aut furiosus, postea compos mentis factus, decesserit.

I X.

Tertiò nonnulli ob uitium animi: ut prodigus, cui bonis interdictum est. Quæ tamen prohibitio cessat, ubi ad meliorem sese frugem receperit.

X.

Quartò ob morbum corporis aliij: ut surdus & mutus. Quod tamen de eo accipiendum est, qui utroque morbo simul laboret, id est, qui neq; audire, neq; loqui possit, hocq; ab ipsa habeat natura.

X I.

In eo uerò, qui in alterutro tantum morbo fuerit, diuersum ius statuitur. Vt surdus quidè indistinctè: mutus uerò, si literarum sit peritus, testari concedatur.

X I I.

Vtique autem de eo furdo loquor, non qui parum auribus, sed qui omnino non audiat. Nam & mutum eum intelligo, nō qui tardè seu ἀσαφῶς, sed qui ἀσήμως loquatur.

X I I I.

Reliquis autem senium ætatis, uel ægritudinem corporis, sinceritatem mentis tenentibus, testamenti factionem certum est non auferre.

X I V.

Quintò intestabiles sunt damnati ob crimen famosum & hæretici.

X V.

Plures porrò in uno eodemq; testamento rectè testantur: ueluti pater & filius, maritus & uxor. Et quot sunt personæ, tot esse testamenta intelliguntur.

De omni-

XVI.

De omnibus autem suis, non etiam alienis rebus, tam mobilibus, quam immobilibus, testari licet. Et hoc de iure quoque 12. Tab. constitutum esse uidetur, ubi hæc uerba leguntur: Paterf. uti legassit super pecunia tutelaue rei suæ, ita ius esto.

XVII.

Et hæc ténus quidem de ijs qui testamēti habeant facultationem, uel non. Nunc, quemadmodum secundū regulas Iuris ciuilis testari debeant, paucis inquirendum est.

XVIII.

Primum itaque ad testamenti constitutionem, uelut caput ac fundamentum, requiritur hæredis institutio.

XIX.

Quæ non ad instantiā & arbitriū alterius, sed sponte ac liberè fieri debet.

XX.

Secundò, ut non signis, sed integris literis, earumque consequentiā testator suam declaret uoluntatem.

XXI.

Tertiò, ut cōsignetur & subscribatur à testatore sua manu coram testibus. Quòd si literas testator ignoret, uel subscribere nequeat, alius, octauus nimirum testis, hoc pro eo faciat.

XXII.

Testatore tamen præsentē. Nam in eius absentia per procuratorem testamentum condi non potest.

XXIII.

Quartò, ut adsint septem testes, rogati, ciues Romani, puberes, &c. quibus omnibus simul testator scripturam uno eodemque die ac tempore signandam ac subscribendam offerat,

XXIV.

Haud tamē necesse est, si testator fortē neminem ea quæ scripta sunt, scire uelit, scriptioni adesse: sed sufficit eos uno eodemq; die, nullo actu extraneo interueniente, subscribere ac signare, licet alio tempore dictatum scriptū nunc proferatur testamentum: & à testatore audire, hanc eius esse uoluntatem.

XXV.

Et hæc de forma solennis testamēti. Nuncupatiuum sit sine solēnitate scripturæ: etsi in scriptum redigi possit, nimirum hoc modo: Vt testator coram septem testibus rogatis heredem nuncupet, & ultimam suam uoluntatem aperiat.

XXVI.

Illud uerò utriq; tam solenni quàm nuncupatiuo testamento commune est, ut uno actu & cōtextu coram septem testibus absoluaatur.

XXVII.

Sequitur de testibus. Cæterum cum non omnes indistinctē ius testimoniū ferendi in testamento habeant, sed alij ob alias causas reijciantur: uidendum est de his qui prohibeantur: ex quib. facile intelligemus, quānam admittantur.

XXIX.

Prohibentur ergo mulier, impubes, seruus, mutus & surdus, furiosus, prodigus, hæres: sic & is in cuius est potestate, uel quos ipse in potestate habet.

XXX.

Eadem ratione, qui sunt in potestate testatoris: uel domestici: ut maritus, uxor, colonus, minister, pater, frater, & similes.

XXX.

Item is cui lege bonis interdictum est: damnatus
ob

ob carmen famosum, & intestabilis.

XXXI.

Finis autem & effectus testamenti est, ut certò constet de eo quod testator post mortē suam de bonis suis fieri uelit,

XXXII.

Et hæc uoluntas pro lege habetur: eamq; ob causam interpretationem etiam secundum legem & ius commune recipit, ita ut omnia præsumantur legaliter & rectè scripta: & prohibitio testatoris similis est prohibitioni legis.

XXXIII.

Et hoc est quod Imp. in ϖ . unde sancimus. Auth. de nupt. Studij nostri, inquit, est, defunctorum cōseruare secundum leges uoluntates.

XXXIV.

Quare si quid contra leges in suo testamento testator disponat (puta liberis legitimam, quæ iure ipsis debetur, & quidem titulo institutionis relinquenda est, adimat) eiusmodi testamentum non ualet.

XXXV.

Et hæctenus qua forma testamenta ordinentur: nūc quemadmodum infirmentur & corruant, paucis exponendum est,

XXXVI.

Testamentum igitur aut statim ab initio iniustum & nullius momenti est, aut ex post facto rumpitur aut irritum fit.

XXXVII.

Nullum & iniustum id testamentum esse dicitur, in quo solennia iuris, de quibus supra, desint, puta si testes inidonei adhibeantur: nec ex eo hereditas adiri potest, tametsi uel unus tantum inhabilis fuerit: nisi adiecta sit clausula codicillaris, Si

XXXIX.

Si tamen testis, qui tempore testamenti habilis censetur & idoneus, postea inhabilis inueniatur, testamentum ob id non infirmabitur.

XXXIX.

Sed ex post facto pluribus modis testamentum ruptum ac infirmatur: puta agnatione sui hæredis uel posthumi.

XL.

Idem receptum est in filio naturali post testamentum legitimato.

XLI.

Vel adoptione aut arrogatione filij ab ascendente facta, per quam suus hæres quasi agnascitur.

XLII.

Item posteriore testamento, quod iure perfectum est. Neque interest, extiterit aliquis heres ex eo, an non. Nam hoc solum spectatur, an aliquo casu existere potuerit.

XLIII.

Idem est, si testator coram testibus idoneis ad minimum tribus, testamentum ante à se factum reuocet: uel inter acta manifestet, & decennium insuper elapsum fuerit.

